Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 39
Quelle:
Copyright:

logum in LL. Regum exorſus jam L. I. Caput *primum* in v. 20. deſtitit, et totum deinceps ſuo loco repetiit. *Esdrae* Librum III. apocryphum adjecit. Prologus *Pſalmis* praefixus eſt *Petri Lombardi*. Teſtimonium triplex I. *Joh.* c. 5. intactum ſic habet a prima manu: *Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in celo pater. uerbum. et ſpiritus ſanctus. et hii tres unum ſunt. et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra ſpiritus. aqua. et ſanguis.* Ad calcem accedit nota illa Vocum Hebraicarum Interpretatio alphabetica, cui adſcriptum lego: *Iſte liber biblie comparatus eſt per me petrum gnem presbiterum patav. dioc. de proprijs pecunijs pro 9. flor. vngaricalib. Actum in die georgij martiris* 1473.

XXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 338. 8vo. per duas columnas minutiſſime exaratus, rubricisque comtus continet ſacra *Biblia V. et N. T.* cum Prologis *Hieronymianis*, et ſolitis Librorum argumentis. *Fol.* 115. Liber *Nehemiae* inſcribitur *Esdrae ſecundus*, et per errorem incipit: *Verba iheremie filii elchie* &c. habetque poſt ſe ſolum *Tertium* apocryphum. *Pſalterium* in titulo audit etiam *Liber hymnorum ſeu ſoliloquiorum. Machabaeis* praemiſſi ſunt Prologi *Rabani* ad *Ludovicum* R. et *Geroldum* (hic *Geraltum*) Archidiac. quos Rubrica tamen perperam *ſancto yſidoro epiſcopo* tribuit. *Fol.* 304. *Joh.* I. c. 5. teſtimonium terreſtre ſic habet: *Et tres unum ſunt.* Adſcriptae ſunt pro more *Interpretationes hebraicorum nominum*, ad quarum calcem minio: C. 940

Laus tibi ſancte chriſte. quoniam liber explicit iſte.

XXVIII.

R. 69 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 633. 8. min. per duas columnas aterrime, nitidiſſime, minutiſſimeque conſcriptus, literulis initiorum picturatis et rubricis ſpecioſus Sacra offert interpretationis vulgatae *Biblia*, et *pag.* 1. extritis et fugientibus ductibus hiſtoriam ſuam, e qua colligas, eum fuiſſe quondam Imperatoris CPolitani, emtumque *Caffae* de praeda pretio Aſperorum duorum millium et quingentorum a *Laurentio Spinula*, tumque iviſſe per *Spinulas Franciscum, Joh. Petrum*, —— *Leonelem, Franciscum, Paulum, Joh. Antonium*, ejusque fratrem *Hieronymum*. Textum praecedit primo Genealogia *Jeſu Chriſti* retro ducta usque ad *Adam, qui fuit Dei*, tum *Epiſtolare* et *Evangeliare* per totum annum, ad cujus calcem: *Omnia ante ſcripta ſunt manu domini Leonelis patrui mei*; ſane eleganti. Libri ſacri Epiſtolis et Prologis *Hieronymianis* inſtructi excipiunt ſe ordine conſueto. Liber

III.